Sancti Iheronimi

Prologus in vitas patrum.

Benedictus deus qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. qui etiam nostrum iter direxit ad egiptum et ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam profutura. ex quibus non solum nobis causa salutis oritur. verum et historia salutaris ad doctrinam pietatis aptissima condetur. que virtutis iter agere volentibus gestorum precedentium fide aptissimum tramitem pandat. Et quamvis ad tantarum rerum narrationem minus ydoneus sum. nec dignum videatur ingenium rerum exiguos ac pusillos fieri auctores. precelsasque virtutes humili narrare sermone. tamen quia fratrum caritas eorum qui in more sancto olivetum commanet. hoc a nobis frequenter exposcit. ut egiptiorum monachorum vitam. virtutesque animi et cultum pietatis atque abstinentie robur quod in eis vidimus. coram omnibus explicemus precibus ipsorum que hoc imperant adiuvandum me credens aggrediar. non tamen ex stilo laudem requirens. sed ex narratione edificationem futurum legentibus sperans. dum gestorum magnificorum instructi exemplis horum quesite sectantur non gerere. et ad pietatis invitat exercitia. Vidi ergo et invidi thesaurum ihesu christi in humanis absconditum vasculis. Quem thesaurum repertum nolui tamquam invidus occultare. sed propter multis inventum proferre in medium. et facere commune. ut quanto plures ex eo fuerint ditati. tanto mihi amplius acquiratur. Ego enim fiam locupletior cum aliorum salus instituerit mei fuit quesita in memoria.

In principio ergo narrationis mee adesse nobis precamur gratiam domini nostri ihesu christi. cuius virtute omnia hec que narratis ex certa apud egipti monachos habetur. Vidimus enim apud eos multos patres celestem vitam in terra positos agentes. et novos quosdam prophetas tam virtutibus animi quam vaticinandi officio suscitatos. quibus ad testimonium meritorum nec signorum quidem ac prodigiorum deerat efficacia. Et merito. Cur enim hii qui nichil terrenum nichilque carnale cupiunt non accipiant celestem potestatem. Nonnullos namque eorum ita ab omni mala cogitatione ac suspicione aliquos vidimus defecatos. ut nec si aliquid mali adhuc gereret in seculo meminisset. Quia tanta eis inerat tranquillitas animi. tantaque inoleverat eis bonitatis affectus. ut merito de eis dictum sit. Pax multa diligentibus nomen tuum domine. Commanent ergo per heremum dispersi et separati cellulis. sed caritate coniuncti. Ob hoc autem dividuntur habitaculis. ut silentii sui quiete et intentione mentis divina sectantes. nec vox aliqua nec occursus ullus aut sermo aliquis otiosus obturbet. Intentis ergo in suo quisque loco animis velut boni pastores christi exspectant adventum. aut tamquam milites patris castris imperatoris presentiam. vel ut fideles servi advenientem dominum sustinent libertatem sibi prestiturum et munera largiturum. Hii ergo nulla cibi aut indumenti sollicitudine gerunt. Sicut enim scriptum est. Hec omnia gentes cogitant. Christi vero iusticiam et regnum dei requirunt. et hec omnia secundum promissionem salvatoris apponuntur eis. Denique plurimi eorum

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Liber 1.
de institutione
Monachorum

si in aliquo forte necessariis ad usus
corporis eguerint. non ad humana re-
fugia. sed ad deum versi. et ab ipso tamquam
a patre pio poscentes quod poposce-
rint consequuntur. [illico] Tanta namque in eis
fides est. quod etiam montibus ut trans-
ferantur valeat imperare. Denique non-
nulli eorum irrupciones fluvii in per-
niciem vicinarum regionum concita-
tas oracionibus represserunt. et pede in-
cedentes alvei eius profunda digressi
sunt. immanesque eius bestias peremerunt.
et plurima atque immensa signa que a
prophetis et apostolis antiquitus gesta fue-
rant consummaverunt. ut dubitari
non debeat ipsorum meritis adhuc
stare mundum. Sed et illud valde
mirum est. cum semper optima queque rara sint
et difficilia. in illis tamen utrumque pariter
convenisse. ut numero immensi sint et vir-
tutibus incomparabiles. Sunt etenim alii
in suburbanis locis. alii per rura.
plures autem et egregii viri per heremum
dispersi. et velut quidam exercitus celestis
in procinctu positus atque in taberna-
culis degens. ad obedienciam precep-
torum legis semper intenti. armis ora-
cionum pugnantes et scuto fidei ab
insidiante inimico protecti regnum
sibi celeste conquirunt. Sunt ergo or-
nati moribus quieti. lenes. tran-
quilli. et caritatis vinculis velut
quadam germanitate constricti. ad e-
mulacionem vero virtutum certamen
ingens exercent et agones. Stu-
det enim unusquisque clemencior alio.
humilior. benignior ac paciencior
inveniri. Si quis autem sapiencior
ceteris fuerit. hic ita communis erga omnes
et mediocris existit. ut secundum do-
mini mandatum omnium minimus et servus
videatur esse. Quia ergo dei mu-
nere donatum est michi. ut viderem eos
et interesse conversacioni eorum. de singulis
iam nunc que ad memoriam dominus reduxerit
enarrare temptabo. ut et hii qui non
viderunt eos in corpore. opera eorum dis-
centes in spiritu. utrumque perfecte lectio-
nis indicio colligentes. ad emulacionem
sancti operis invitentur. et perfecte paciencie
palmam requirant.

Liber I de institutione monachorum

Primum igitur tamquam verum
fundamentum nostri operis
ad exemplum bonorum
omnium sumamus iohannem
qui vere etiam solus sa-
tis super quam sufficiat
religiosas et devotas mentes ad vir-
tutum culmen erigere et ad perfectionis
fastigia concitare. Hunc enim vidimus
in thebaidis partibus in heremo que adiacet
civitati lico. in rupe quadam ardui mon-
tis commanentem. Ascensus ad eum dif-
ficilis. aditus monasterii eius obstructus
et clausus. ita ut a quadragesimo etatis
sue anno usque ad nonagesimum quem
tunc gerebat quando eum vidimus monasterium
eius nullus intraverit. Advenientibus
vero per fenestram se videndum prebebat
et inde eis vel verbum dei ad edificacio-
nem. vel si qua fuisset consolacionis causa
reddebat. Mulierum tamen illuc nulla
ad conspectum quidem eius accessit. sed et
viri raro et certis quibusque temporibus. Cel-
lulam sane hospitale extrinsecus
fieri permisit. in qua advenientes de longin-
quis regionibus paululum requiescerent.
Ipse intrinsecus solus soli deo vacabat.
non diebus non noctibus a colloquiis dei
et oracione cessabat. divinum illud et quod est
super omnem mentem tota mentis purita-
te conspectans. Quanto enim se ab hu-
manis curis et colloquiis sequestra-
bat. tanto illi vicinior ac propinquior
deus erat. In tanta denique mentis sin-
ceritate perseverabat. ut non solum eorum
que erant scienciam consequeretur a domino. verum